



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 27. Se ipsos occidentum insania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

nis. Laici duellantes excommunicantur: clerici excōmunicantur & suspenduntur: quin & prouocantes ad duellum, effectu non secuto, vti & acceptantes incidunt in excommunicationem. Nunquid hoc est & suam animam vita spirituali priuare, & alienam? Quisquis igitur in tali duello vel occidit, vel occiditur, vno vulnere & corpus & animam perdit. Huc ira ducit, si fræno non cohibeatur.

Sed his omnibus longè amentius sibi fortunisq; suis irascuntur, qui impatientia intemperisq; eò adiguntur, vt sibi ipsis statuunt inferre manus violentas. Sic, vt de Pyramo & Thysbe nihil dicam, ac ijs, qui eos insanis amoribus imitantur; seque ipsos interimunt, quando ijs frui non possunt; apud Græcos Ajax, apud Hebræos rex Saul, in proprium gladium incubuit. Sic *Achitophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, disposita domo sua suspendio interijt.* Quo mortis genere etiam Iudas animam suam, ex arbore in Orci barathrum, præcipitauit. Herodes quoque mortem sibi ipse consciuit, ne se diutius viuum vermibus permetteret epulandum. Quod & de Pontio Pilato refert Gregorius Turonensis. Apud Ethnicos innumeri

XXVII.

SE IPSOS
OCCIDEN-
TIUM IN-
SANIA.

2. Reg. 6

2 Reg. 17.

23.

tales extiterunt. Ibi non tantum Dido, & eius soror Anna; non Cleopatra modò & Lucretia; neque sola Euadne, Biblis, Sappho, Iocasta, Phædra, Phyllis, Anatolia, & aliæ desperati spiritus feminæ; sed etiam Aegæus Atheniensis, Hæmon Thebanus, Mopsus Cretenfis, Annibal Carthaginensis, Cleomenes Spartanus, Dinocrates Messenius, Eratosthenes Cyrenæus; quin & ipse ille fortissimus Poëtarum Hercules, voluntaria se se morte peremerunt. Occurrunt nostræ quoque ætatis exempla quotidiana, in quibus quid aliud docetur, quàm irâ furentes eò impelli, vt sibi ipsi & vitam eripiant, & animam in æterna supplicia mittant, de breuib; huius vitæ molestijs, ad nunquam desinendos inferni cruciatus transitoram? Quanta bestia est ira, quæ tales ex hominibus bestias facit? immo bestijs truculentiores? Pauca enim se ipsas necant. Cum scorpione possunt autothanati isti venire in comparationem. Circulum si quis faciat ex ardentibus prunis, in coronæ modum, humi circumfusus, atque in medium iniiciat viuum scorpionem, videt illico caloris impatientem anxie discursare, & jam hîc, jam ibi exitum tentare. Si videt se quærere frustra, hinc igne, inde ira exardescens,

scens, retortâ in tergum caudâ se ipsum interimit. Ad hunc modum exæstuant multi, cum rerum suarum exitum non inueniunt: tunc enim à morte petunt remedium, quasi cum vita calamitates finirent; quas nequaquam, hac via fugiunt, sed incurrunt, augent, & de breuibus ac paruis magnas atque æternas faciunt, more illius, qui ad littus obambulans, ne à pluuia aspergeretur, in mare insiliuit. Patiens non irascitur. Humilis non curat si parui pendatur.

Ad hunc modum ira, à diabolo orta, cre-

scit in homine, vt rationem excæcet, voluntatem præcipitet, consulentes non audiat, nemini, nec Deo, nec ipsi irascenti parcat. Et clemens foret, si in corpus tantum saui- ret; nunc in ipsam quoque animam est truculenta. Nec debent sibi blandiri, qui se non interemerunt irascentes. Siquidem & sanctorum hominum animas hic affectus subinde quatit. Etsi enim illæ tam plumbeas iras non habeant, vt illis semper in Infernum mergantur; grauantur tamen sæpe vsque ad Purgatorium. Quàm pauci enim primos statim impatientiæ motus, comprimunt? Quàm rari iram non fouent recordatione iniuriarum? Quàm procliuus sumus ad dicta, vel facta

XXVIII,
VARI
IRAE MO-
TUS ETI-
AM PRO-
BIBUS
INFESTI,